

Currenda II  
na rok 1863

L. 887. Odezwowa do Duch. wielu zachęcani do sławiania  
Kaptie w odległych parafiach. -  
16. Kwiet. 1863. Huppe.



# Currenda 3.

ex anno 1863.

## Venerabili Clero Diœcesano, Salutem in Domino!

Nr. 32.  
præs.

Ssmus Dominus noster Pius PP. IX. accepta notitia de funestis dissidiis in hac Provincia inter Clerum ritus latini et græci exortis, studio pacis ac charitatis utrinque restituendæ et conservandæ animatus, ad Metropolitanos utriusque ritus eorumque Suffraganeos sub 2. Martii a. c. Epistolam encyclicam dirigere dignatus est tenoris sequentis:

Venerabilibus Fratribus Francisco Xaverio Archiepiscopo Leopoliensi Latinorum, Gregorio Archiepiscopo Leopoliensi, Halicensi et Kamencensi Ruthenorum, Eorumque Suffraganeis.

### Pius Papa IX.

Venerabiles Fratres! salutem et apostolicam benedictionem! Romani Pontifices Illius vicariam in terris gerentes operam, qui non est dissensionis Deus, sed pacis, omni cura studioque Ecclesiarum concordie semper consuluerunt, neque unquam intermiserunt paternis curis, consiliis, oportunisque remediis interna amovere dissidiaque inimicus homo solet interdum excitare, ut funestissima Ecclesie afferat damna. Atque huiusmodi dissensiones, veluti pro vestra sapientia optime nostis, Venerabiles Fratres, perniciosiores magisque deplorandæ sunt, si inter sacros Ministros oriantur, ac foveantur, quandoquidem et charitas graviter læditur, et christiano populo non leve inferitur scandalum, et vinea Domini eos fructus emittere non potest, quos in ea excellenda varii Cleri Ordines mutua charitate, auxilio, et concordissimis animis afferre omnino tenentur. Ac probe scitis, quantopere ad Christi Ecclesie, Ejusque fidelium prosperitatem conducatur sacrorum Pastorum concordia, quæ etiam mirifice ostendit, quomodo in legitimorum quoque rituum varietate inter ejusdem Ecclesie filios stabile et integrum inviolatumque servetur unitatis vinculum. Hinc, Venerabiles Frater, vel facile intelligere potestis, quanto animi Nostri dolore noverimus questiones inter utriusque ritus Clerum istarum Vestrarum Diœcesium exortas. Ac Nostris in votis fuisset, tu huiusmodi questiones et dissidia nunquam exitissent, et nunquam ecclesiasticæ hierarchiæ pacem et concordiam turbare potuissent. Ea autem profecto spe nitbamur fore, ut ejusmodi dissensiones saltem sopirentur ob curas, quas veluti agnoscitis, Congregatio a Nobis pro Ecclesiarum Orientalium negotiis instituta in præsentia impendit in examinanda concordia ab utriusque ritus Ordinariis communi consensu proposita, ut omnis scilicet questionis et dissidii causa ab utraque parte penitus amoveatur.

Verum summo animi Nostri mœrore agnoscere debuimus, questiones ac dissidia non solum minime sopita, sed etiam aucta fuisse, et nonnullos et Clero utriusque ritus proprio arbitrio res egisse, quæ canonicis sanctionibus, et ecclesiasticæ disciplinæ minime sunt consentaneæ. Itaque maxime optantes hinc gravi sane malo promptum et efficax adhibere remedium, has Vobis, Venerabiles Fratres, scribimus litteras, quibus Vos etiam atque etiam excitamus, hortamur et obtestamur, ut pro proximâ Vestra religione et episcopali zelo nihil intentatum relinquatis, ut omnium animos ad optatam pacem tranquillitatemque reducat. Quocirca ne desinat Clero Vobis subiecto inculcare, et præcipere, ut se omnino absteineat a renovandis questionibus, quæ sacram liturgiam, et ecclesiasticam disciplinam respiciunt, cum huiusmodi dissensiones mutuam inter utriusque ritus Clerum concordiam omnino necessariam vehementer perturbent. Neque omittatis, Venerabiles Fratres in omnium memoriam revocare, omnem de hisce rebus ordinationem vel innovationem ad Supremam Nostram et Apostolicæ hujus Sedis Auctoritatem unie pertinere. Atque a Vobis exposcimus, ut Nos accuratissime certiores faciatis de iis omnibus, quæ ad huiusmodi spectant negotium, ut ea nobis præsertim exponatis, quibus opportune ac provide consulere possimus. Etenim etiamsi hæc Apostolica Sedes omni cura semper advigilaverit, ut legitimi ri-

Epistola Ssmi  
Dni intoulu pa-  
cis et chari-  
tatis inter Cle-  
rum utriusque  
ritus restituen-  
dæ et conser-  
vandæ ema-  
nata commu-  
nicatur.

tus integri servarentur, tamen pari studio curavit, ut omnes eliminarentur abusiones et nunquam omisit justas excipere postulationes, debitamque earum rationem habere. Acsi opportunum esse censueritis una cum Vestris responsis aliquem ecclesiaticum Vestrarum Diœcesium virum ad Nos mittere, quo controversiæ melius clariusque noscantur, pro certo habete, Nos illum omni benevolentia esse excepturos ac perlibenter audituros. Nihil vero dubitamus, quin pro Vestra singulari pietate, atque erga Nos, et hanc Petri Cathedram, fide et observantia hisce Nostris desideriis monitisque studiosissime obsequi velit. Interim vero hanc etiam occasionem lubentissimo animo amplectimur, ut iterum testemur et confirmemus præcipuam, qua Vos prosequimur, benevolentiam. Cujus quoque pignus esse volumus Apostolicam benedictionem, quam intimo cordis affectu Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis Laicisque fidelibus, cujusque Vestrum curæ commissis, peramanter impertimur.

*Datum Romæ apud S. Petrum die 2. Martii anno 1863. Pontificatus Nostri anno decimo Septimo.*

**Pius PP. IX.** m. p.

Epistolam hanc Vobiscum communicantes, hortamur Vos in Domino, Venerabiles Fratres, ut in materia controversiarum, inter utramque partem agitatorum, decisiones suo tempore a S. Sede Apostolica emanaturas in patientia et humilitate expectantes, cuncta sollicite vitetis, quæ augendæ animorum exacerbationi servire, charitati fraternæ majus detrimentum adferre et populo fideli scandalum præbere possent. Noveritis autem Nos omnia, quæ Nostrarum partium erant, sollicite præstitisse, ut Sua Sanctitas statum negotii accurate cognoscere posset, ita ut firmam fiduciam alere liceat, dissensionibus istis Ecclesiam Dei perturbantibus, sapientissimo ac æquissimo Sanctæ Sedis Apostolicæ judicio brevi feliciter finem impositum iri. Vestrum porro erit, Venerabiles Fratres, Deum opt. max., qui est pater luminum, et per quem legum conditores justa decernunt, ardentibus precibus exorare, ut in hac gravi causa Simi Domini nostri mentem per Spiritum suum sanctum illuminet, Eique remedia malis nostris sanandis necessaria et opportuna suggerat.

## **A Consistorio Eppali rit. lat.**

**Premissæ die 9. Maji 1863.**

**Jos. Hoppe,**

*Vicarius Capitularis.*

**Adalbertus Harmata,**

*Cancellarius.*